



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Collegium Universi Juris Canonici

Engel, Ludwig
Salisburgi, 1693

Privilegium XXI. Valet donatio omnium bonorum facta Monasterio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61596](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61596)

Ubi Imper. videtur supponere, quod ad declinandam Falcidiam piæ causæ debeant institui heredes. *Imperatorem non dicere hoc debere fieri, sed narrare factum, si fiat.*

Ad Num. 3. Quidam existimant hanc exceptionem declarandam esse, ut procedat, nisi adsit legata profana, à quibus possit filius legitimam detrahere, cum legatarij non debeant esse melioris conditionis, quam heres extraneus, qui nonnunquam ob favorem piæ causæ totam quartam perdit. Huic sententiæ non repugno, illud adjectum, quod licet plures doceant legata ad piæ causas tanquam alienum deduci, & sic totam hereditatem & quartam heredis minorum argumento ducto à libertate *L. si universa C. de legat. id tamen non procedat circa legitimam filij, quæ debetur jure naturæ & nec per piæ legata gravari, vel diminui potest. c. fin. 17. q. 4.* ideoque suam quantitatem sumit juxta proportionem omnium bonorum paternorum etiam computatis pijs legatis, licet ab his non detrahatur, sed à profanis.

Ad Num. 4. Non obstat, quod unum Monasterium non præscribat contra alterum nisi 40. annis, quia in præscriptione non est utriusque privilegii par conditio, cum unum Monasterium certæ de lucro, alterum de damno vitando. Item non obstat *L. si quis 49. C. de SS. Eccl.* quia ibi Episcopus non est heres, sed executor, imò licet esset heres, tamen aliud dicendum foret in legato pro redemptione captivorum, ubi captivi ceitant de damno vitando, & heres de lucro captivando.

PRIVILEGIUM XX.

Donatio ultra 500. solidos facta Monasterio valet absque infirmatione.

1. Donatio ultra 500. solidos regulariter invalida est absque infirmatione.

2. Fallit in pijs causis.

3. Alia item exceptiones de jure communi.

Licet generaliter invalidetur donatio ultra 500. solidos (quo nomine plerumque 500. aureos seu 1000. Imperiales intelligunt) nisi coram magistratu fuerit infirmata. *L. sancimus, 34. C. de legat. l. si quis argentum. 25. §. ult. C. de Don.*

Excipitur tamen donatio facta pijs causis & Ecclesijs teste Julio Claro in *§. donatio. q. 17. n.*

1. Ratio esse potest, tum quod Leges Civiles in dubio non extendantur in præjudicium Ecclesiarum, tum etiam quod donando ad piæ causas & pro salute animæ suæ non censetur aliquis inconsultè agere. *ex. in l. si quis. 36. §. 2. C. de Don.*

Præterea etiam ex jure communi Civ. valetet donatio ultra 500. solidos facta Ecclesiæ, sicut cuilibet alteri, I. Si pro reparatione incendij vel ruinæ donatum sit. *l. si quis. 36. §. 2. C. de Don.* II. Si diversis temporibus donationes fiant, ita ut singulæ non excedant 500. solidos, quamvis excedant simul sumptæ, *d. L. Sancimus. §. 3.* III. Si Imperator qui supra Leges est, donet, *d. L. Sancimus.* quod DD. etiam ad Principes & Dominos territoriorum extendunt cum Harphecko in *§. 2. Inst. de Donat. n. 145.* Demùm Donatio quæ fit ultra 500. solidos non vitatur in totum, sed tantum quatenus excedit prædictam summam, *d. L. si quis 36. §. 3. Cov. Nov. 162. c. 1. §. 2.*

ADNOTATIO.

AD Num. 1. In contrarium facit *L. illud. 19. C. de SS. Eccl.* sed dici potest, principes sæculares non posse suis subditis legem imponere circa contractus in præjudicium Ecclesiæ, maxime si directè de Ecclesia disponant, *c. fin. de For. comp. in 6.* Item *d. L. illud* videtur correctæ per *L. si quis. 36. in pr. C. de Don.* quæ est posterior & lata post consulatum Lampadij & Orestis, si enim valet donatio cujuscunque quantitatis pro redemptione captivorum, ergo valet generaliter pro redemptione animæ suæ, & ab una piæ causa ad aliam bona est argumentatio.

PRIVILEGIUM XXI.

Valet donatio omnium bonorum facta Monasterio.

Donationem omnium bonorum tam præsentium, quam futurorum, regulariter non valere communiter tradunt DD. in *I. omnes §. Lucius. ff. Que in fraud. cred.* Sed quidquid sit de veritate hujus sententiæ, exceptio ab ea communis est, si talis donatio facta sit piæ causæ, Barb. *I. E. P. lib. 2. c. 13. n. 17.* Clarus. *d. §. donatio. q. 20. n. 3.* Cov. in *Rubr. de Testam. §. 2. n. 6. tex. in c. perlatum 19. q. 3.*